
ANTONII DEUSINGII
Med. ac Philos.

EXAMEN ANATOMES
Anatomiæ Bilsianæ:
Seu,
EPISTOLA
DE CHYLI MOTU.

AD

Excellentiss. Virum,

D. Jo. CASPARUM FAUSIUM
Med. D. Archiatrum Palatinum,
ac Primarium in Academia
Heidelbergensi Medicinæ
Professorem.



GRONINGÆ,

Typis FRANCISCI BRONCHORSTII.
Civit. Gron. Ord. Typ. Anno 1665.



Nobilissimo & Excellentissimo Viro, Domino,

D. J. CASPARO FAUSIO,

&c.

Salutem

A. DEUSINGIUS.

GRatias Tibi, Nobiliss. & Excellentiss. Vir, quascunque possum maximas ago, pro munere illo literario transmisso, cum privatis Tuis, (quas nunquam non gratas optatasque accipio,) jucundissimis & amicissimis, ante dies paucos ad me delatis Gratissimum illud accidit mihi, quòd mitteretur ab Autore, Eruditiss. simul ac humanissimo Viro, magnique Parentis ac Reipublicæ literariæ ornamento eximio, D. D. *Jac. Henr. Paulli*, in Acad. Hafniensi

Professore Regio, qui eo honore, ante triennium circiter, me fuit dignatus, ut cum Generoso atque eximiâ eruditione subactissimo Viro, D° *Brostropio Gedde*, Equite Norvago, Collegii metallici Præside, summoque fodinarum per totum Norvagiæ Regnum Præfecto, cùm hâc transirent, humaniter me inviseret, ac prima amicitiæ, pro singulari quâ tincta præcordia gerit, humanitate suâ, fundamenta jaceret: Gratissimum idem accidit mihi, quòd manum ipsammet Celeberrimi Autoris, ceu tesseram animi faventis & amici, ad me directam, in fronte gestaret; Gratissimum fuit, quòd manu tam grati tamque intimè mihi divincti Amici ad me curaretur: Gratissimum denique atque acceptissimum id meritò habui, quòd complecteretur materiã nobilissimam, *Anatomiæ* sc. *Bilsianæ Anatomen*, &c. in qua tamen ipse hinc inde aliquem invenio scrupulum;

lum; ut fieri solet, ubi studium amicitię veritatis studium atque amorem sapientiæ admittit comitem. Id quidem Autoris Celeberrimi probat modestiam ac candorem, quod publicè improbet (in Epistola præmissa *Observationi Anatomicæ Laur. Bellini de Structura Renum*, p. 4.) institutum eorum, qui non duntaxat Veteres Philosophorum & Medicorum Antesignanos, sed addo Recentiores, nimis præcipitanter de ponte deturbare satagunt. Nec verò sine ratione censet Clariss. Vir, debere Juvenes, nondum satis Artium præceptis instructos, (addo & adultos, licet magis subactos, rerumque peritos,) excusare potiùs Viros præclaros, sive Veteres sive Recentiores, de Republica Literaria optimè meritos, vel etiamnum merentes, quàm fictæ imaginationis & falsitatis audacter magnos Viros insimulare. Id si meus *Sylvius*, æstivè duntaxat quoad Præcepta Philoso-

phiæ ac Medicinæ viaticatus, in juventute didicisset, non adeò turpiter ac probrosè impegisset, dum senescere jam cæpit, nec scuticam talem fuisset expertus, qualem meritò sensit. Interim dubito sanè, quo animo ille *Bellinus* Florentinus sit admissurus, quòd Scriptum ipsius prodierit mancum, sublatâ nempe è medio censurâ, quam ipse voluit, fortasse præ quodam juvenili fervore, in Viros nonnullos egregios stringere; præsertim cùm ipse, (ut meritus videtur,) ea ipsa de causa non obscurè perstringatur. Sed hæc prætermitto Ad Bilsianæ Anatomiæ Anatomen pauca notanda habeo, cùm illi & nostra hinc inde implicentur: Cùm gratia tamen Autoris agam id omne quod agam: nequaquam ullo contradicendi studio, aut pertinaciter porrò ea tuendi, quæ antehac à me fuêre prolata; sed amore veritatis: nec enim mihi propositum ullibi, persuadere aliis ve-

veriſſima eſſe quæ à me proferuntur; hoc ago unicè, ut mihi, quæ profero, quàm maximè vero cenſentanea appareant; aliorum libertati rem omnē relinquo, nec expeto aſſenſum, niſi fortè alii judicio proprio prolatis aſſentiantur. Quod *Bilſii* quidem perſonam attinet: Eum ego quidem videram nunquam, nec ullum mihi cū ipſo interceſſerat literarium commercium, cùm nuper, ante ſeptimanas aliquot, propriorum fortè negotiorum ſuorum expediundi cauſâ in Friſiam profectus, ad me ulteriùs Groningam excurrit, ſuâque præſentiâ me fuit dignatus. Ut adeò nihil ex privato ullo erga Virum affectu à me fuerit actum, quod æmuli ejus (qui vel ſub larva in me inſurrexerunt, vel Patroni illorum,) ſiniſtrè acceperint: Non noveram Virum, cujus interim laudes, ſplendidaque encomia, ac ſingularem in re Anatomica peritiam, hactenùs omni ætate Mundi

Mundi omnibus Anatomicis inauditam, prædicari hinc inde ab aliis cognoveram, (etiam iis ipsis qui postmodùm ea quæ admirabantur, quæque scire optabant, invidiâ prosecuti sunt, atque improbo molimine,) cùm publicè optarem literato orbi communia fieri, quæ propria vir ille ferebatur habere. Factioni Bilsianæ, si quæ fuit unquam, me minimè inmiscui, nec contuli unquam cum quoquam eorum, quos Celeberrimus *Bilsianæ Anatomiæ* Examinator Nobiliss. *Bilsii* Propugnatores memorat, *Anatomes* suæ *pag.* 12. ut neque cum aliis, Factioni ulli, (quòd scirem,) addictis. Quæ retuli de *Bilsio*, judicium olim de ejus Anatomia rogatus à Te, Vir Excellentiss. atque aliis Viris Excellentibus & præclaris, ex aliorum fide ac relatu retuli, (eorum etiam, quos postmodùm invidia in æmulos *Bilsii* atque hostes mutavit:) ut cuilibet mea, quæ Tibi inscripsi, legenti con-

conſtabit. Nulla ego unquam *Bilſii* dogmata propugnare inſtitui: Hoc unum duntaxat, quod Ratione ſemper tuitus eram, quòd publicis ſcriptis urſeram pridem, etiam tum cùm Lactea Vaſa crederentur ad Hepar pertingere, cùm nondum Lymphatica eſſent inventa, nempe, Chyli partem magnam ſuſcipi à meſaraïcis ſanguiferis, ac per venam Portæ in Hepar influere, hoc unum, inquam, veritatis ſtudio propugnare perrexi, allegatâ tandem, (cùm *Bilſius* orbi literato innoteſceret, atque ita & mihi,) Bilſianâ Experientiâ, ac ſenſuali demonſtratione: In hac ſola materia, quæ *Bilſii* non erat, ſed Antiquitatis univerſæ, quæ mea erat, cùm *Bilſii* nomen erudito orbi nondum innotuiſſet (ne credar fortè in gratiam *Bilſii* hîc quicquam egiſſe, cur malam gratiam inire potuerim apud æmulos ejus,) etiam tum, cùm omnes per Lacteas Venas univerſum

Chylum ad Hepar amandarent, in hoc dogmate, inquam, quod ſolum *Bilſio* mecum commune eſt, exercui me ipſum, atque alios mecum, diverſiſſimè interim in veritatem affectos, nec pari omnes cum Excellentiſſ. D. *Bartholino* ſtudio ad hunc collimantes. Quod attinet D^os^. *van Horne*, ac *Sylvium*, & perſonatum illum Tenebrionem *Blotteſandæum*, qui cum aliis dicuntur circumſpecto judicio rem perpendentes, inventa & decreta Nobiliſſ. *Bilſii* vehementer oppugnâſſe: id equidem putem me effectum dediſſe, ut habituri non ſint apud æquos judices, de quo glorientur contra D. *Bilſium* in illa materia, cui me involvebant. Si illi Inſectatores bonorum Virorum, veritatis potiùs eruendæ ſtudio, quàm invidiâ & odio acti fuiſſent, majori certè cum humanitate egiſſent, ac paulò magis circumſpecto judicio rem perpendiſſent. De reliquis nihil dicam:

niſi

nisi quòd, cùm egi cum Excellentissimo ac sempiternâ laude dignissimo Viro, D.D. *Bartholino*, id unicè egerim, (quod veri censeo Philosophi esse,) ut mihi satisfacerem; quod unum saltem me obtinuisse, gloriari possum. Ac quòd non minùs Concordiæ studio in colenda amicitia, dum fortè erat sententia discors in re literaria; litârim ubivis, id ipsum mea *Dissertatio Epistolica de Hepatis Officio* ad Excellentiss. Virum D. D. *Bartholinum*, ac porrò mea *Disquisitio Ulterior de Chyli motu & Officio Hepatis*, abundè testantur: Quemadmodùm vicissim non alium in illo humanissimo viro, ac verè Philosopho, deprehendi animum, quàm qualem exspectavi, qualem ipse optavi: At quàm ardente veritatis studio rem ipsam perpenderint *van Horne* & *Sylvius*, quàm humaniter egerint, cùm me adorirentur, quòpassim mihi conflarent invidiam, id ipsorum fraudes

Disputationibus publicè habitis immixtæ, ac virulentæ. Præfationes, hominibus ab omni animi cultura alienis dignissimæ, in me, qui nunquam sequiore ullâ cogitatione offenderam homines illos, evibratæ, loquuntur; Id verò tandem pleniùs aperuêre *Rediviri Hepatis Vindiciæ* nostræ, Earumque *Supplementum*, *Apologeticæ* nostrę *Defensionis Prodromo*(quo personato illi *Maledicto Blottesandæo* detrahebatur larva,) ad calcem adjectum; prodidère id ipsum *Heautimoroumenos Sylvius* noster, seu *In Sylvam Echo*; ac *Præfatio* nostra præmissa *Sylvæ-Cæduæ Cadenti*; ut alia prætermittam. Quàm denique circumspecto judicio negotium controversum perpenderit Tenebrio ille, famosus famosorum Libellorum Autor, cum Sociis suis, id nostra *Hepatis asserta Resurrectio*, evidenter ostendit: cujus interim hominis malitiosi ac perditi, vel improbæ Catervæ, nequitiam ac scelera

ſcelera, aut certè cranium medullâ vacuum, at militiâ plenum & improbitate, detexit noſter *Prodromus* memoratus; eademque porrò *Oeconomus Corporis Animalis Reſtitutus*, ſeu *Genuinus Animæ Humanæ Ortus*, &c. itemque *Reſurrectio Hepatis aſſerta*, jam commemorata, nec non *Vindiciæ Fœtus extra uterum geniti*, aliaque quæ illis addita ſunt, luculenter demonſtrant. Sed optimo Viro, acceptiſſimi muneris datori & Autori, Celeberrimo & humaniſſimo D. D. *Paulli*, nequaquam quicquam hac meâ commemoratione vitio verto: hiſtoricè refert, quæ fortè non omnia ad amuſſim expendit, aut quæ fortaſſe ab aliis accepit, aut ex ſcriptis aliorum facilis admiſit; dum interim, (ut colligo ex Scripto ipſius) ſcripta noſtra non vidit, quæ Tenebrionibus apparavimus; ut certè non vidiſſe Reſponſum ad Excellentiſſ. D. *Bartholini Diſſertationem de* Hepate *Defuncto*, ſeu

Ulteriorem Disquisitionem meam (cui in uno Opusculo nostra *Resurrectio Hepatis asserta* est addita,) hinc inde liquet ex *Anatome* ipsius (ut *pag.* 43. 47. & alibi;) ac nec alia quædam recentiora nostra, contra *Sylvium* edita, hactenus vidisse, liquere videtur *pag.* 120. Satis interim notat Celeberr. Vir famosi libelli Scriptorem illum, Magistratuum publico decreto notatum, *Blottesandæum*, dum *fictis nominibus personatum incedere*. Tenebrionem illum pronunciare non veretur. Sed missis illis ad *Bilsium* redeo: Nequaquam probo, si insolentiùs unquam pronunciavit quicquam: Non dubito interim, quin habeat nonnulla in re Anatomica, quæ hactenus alios Anatomicos latent: Quin imò, id certum esse, res ipsa tandem ac eventus probavit, posteaquam Artem secandi Bilsianam Brabantiæ Ordines magnâ vi pecunię ab ipso redemerunt, ac insuper in annuum Honorarium ipsi duo

duo millia florenorum, quoad vixerit ipse, ac totidem ejus filio unico, post obitum ejus, munificè assignârunt, ut literis Excellentium Medicorum & Anatomicorum Bruxellis ex ipsa Brabantia ad me datis constare potest, recitatis à me in *Sylvio Heautontimoroumeno pag* 304. & *seqq.* postea quam, inquam, secreta illius Dissectoriæ Artis dictorum Brabantiæ Ordinum jussu aperuit Viro Clarissimo & exercitatissimo D° *Gutschovio*, Anatomiæ in Acad Lovaniensi Professori, qui ipse sectiones vivorum canum, præsente ipsomet *Marchione de Caracena*, atque *Ordinum Deputatis*, nec non quibusdam *Lovaniensibus Medicis*, dexterrimè instituit, secundùm secreta à *Bilsio* communicata, citra sanguinis fusionem, tum sine Ligaturis, tum cum Ligaturis, tam felici successu, ut *omnes*, qui sectionibus Judices aderant, *mysteria Naturæ inaudita & nunquam visa admirati sint*, *& nova hæc* in-

inventa, utpote toti humano generi utilissima, majori præmio digna æstimârint, & D. Bilsio, admirando illorum inventori, communibus votis applauserint, post quæ tentamina atque Experimenta pecuniæ demum *Bilsio* numeratæ sunt, ut aliis literis Bruxellis ad me datis, ac verbotenùs recitatis, in *Præfatione* mea ad *Sylvam-Cæduam Cadentem* ostendi; ubi item Declarationem ac Testimonium Clariss. Viri, D.D. *Gutschovii*, circa Secreta Bilsiana, sibi jussu Ordinum communicata, (sub fide juramenti, Ordinibus quocunque tempore, loco, modove præstandi,) depositum, exhibuimus: Certè talia illic Candidus Lector ab Anatomiæ Professore exercitatissimo relata ac comprobata inveniet, quæ meritò miretur, quæque illos Leidenses Bilsianæ Anatomiæ æmulos Professores meritissimè confundant. Nequaquam verò artificium Bilsianum ad Ligaturas recidit, ut suspicatur

catur Celeberrimus D. *Paulli*, *Anatomes* suæ *pag.* 19 quamvis etiam per ligaturas sectiones instituat sine sanguinis fusione, quam Artem etiam Studiosos docet, (ut ex ipso intellexi;) sed sine Ligaturis, ac interim sine fusione sanguinis, potuisse protinus Clariss. in *Gutschovium*, à *Bilsio* doctum, sectiones instituere, ex superiùs allegata Epistola patet. Nec verò in eo duntaxat consistit artificium Bilsianum, quòd possit citra vasorum ligaturas viva animantia secare sine sanguinis fusione; sed arte suâ hoc insuper præstat, (quod ubi cum ligaturis instituitur sectio præstari non potest,) ut minimæ etiam particulæ quævis in conspectum veniant, ac nudæ appareant, quæ oculis licet artificiosè armatis ne Argus quidem ipse videret. *Mirum sanè*, dicitur in prædicta Epistola, quam Præfationi memoratæ inseruimus, *quâ dexteritate sanguinem ex arteriis*, *etiam* *mus-*

musculorum & minimis, in venas adigat, & cogat quasi torculari, (quocunque vult) *unde partes vicinæ inflantur, & vascula minima, & ante ullam compressionem visum effugientia, fiunt conspicua; membranarum etiam duplicaturæ, violentâ illa coactione se manifestant, & à se invicem sejunguntur,* &c. Peritonæum ipsum ex quatuor vel quinque lamellis conflatum ad oculos demonstrat; extremitates vasorum, venarum, arteriarum, nervorum, &c. nudis exhibet oculis; terminari nervos & expandi in membranas evidenter ostendit; rorifera vasa, (quæ vocat ipse)in partium spermaticarum vulgò dictarum fibrillas abire, clarè demonstrat; hasque ideo colligit rorido illo succo nutriri, dum per arterias vigor vitalis affunditur, &c. Saltem plura exhibuit Marchioni Caracenæ, atque Ordinibus Brabantiæ, ne quidem propriâ manu admotâ, sed per D. *Gutschovium* recens edo-

edoctum, dum interim ipse, silentio ipsi à Judicibus indicto, mussitare non auderet, quàm fuerat pollicitus. Vidi ipse cum Rev. D.D. *Maresio*, Collega meo, (ad quem cum mihi nuper adesset Nobiliss. ille Vir, eundem adducebam,) præter Diploma honorificum Regis Hispaniarum atque Ordinum Brabantiæ, torquem aureum, non parvæ molis, cum nummo appenso, effigiem Regis Hispaniarum gerente, quo Illustr. Marchio de Caracena Regis in Provinciis Belgii Hispanicis vicarius, ipsum ornavit, quòd ultra exspectationem admiranda exhibuisset. Quid verò scribas contra talem, quæso, cujus Artem ipse hactenus ignoras? Cogitemus necesse est, non esse pueros Brabantinos illos Anatomicos & Medicos, qui patiantur sibi à Viro aliquo illiterato illudi. Sed animus mihi nequaquam est, Encomiasten agere Nobiliss. *Bilsii*: occasione datâ hæc refe-

refero duntaxat; ac optarem interim à tali viro illiterato plura insuper discere. Saltem mirum non est, si talis Artifex, qui in conspectum promere potest, quæ Sensibus Natura videtur negâsse, qui in corpora recens demortuo potest repræsentare sensibus, ceu sejuncta ab invicem, ac quasi suâ sponte dispansa, quæ arctissimâ contiguitate in cadavere cohærent, ut nullo sensu discerni queant, qui evidenter potest in partibus demortuis, minimisque fibrillis, viventium vivum statum repræsentare, particularum minimarum connexionem cum invicem, aliaque similia, quæ fugiunt sensus, protrahere in conspectum, ac nudis oculis evidentia exponere, mirum non est, inquam, si talis non modò in suis balsamo conditis intestinis, tum oculis tum tactui, vasorum veram irradicationem & valvulas, quodque est indaginis adhuc subtilioris, Venas

Lacteas

Lacteas angustioris orificii esse mesaraïcis rubris, testimonio sensuum queat firmare; sed clariùs in corpore recens demortuo exhibere eadem, quin & venarum Lactearum valvulas, aliaque subtiliora, quæ nec Argus ipse, quamvis oculus totus sit, visu assequi posset, aliorum obtuitui evidentia exponere. Quis verò non facilè mente concipiat, ubi ita particulæ expansæ repræsentantur, ut subtilissimæ membranæ ex variis lamellis conflatæ appareant, cum intercurrentibus suis fibrillis, servato nexu naturali omnium, etiam exactiùs vasorum extrema ipsa, ac insertiones eorundem seu irradicationes explorari posse, quàm si radendo naturalis partium constitutio violetur? Demus Viro Clarissimo, *Mesaraïcas rubras circa intestina capacitate sua Lacteas minimè superare*, ut concludit p. 38. an ideo sequitur harum oscula in intestinis esse patentiora? Contingere utique non

non rarò videmus, ut in ampla fluenta per angustas cataractas detur ingressus; at ostia fluviorum angustorum contrà pateant latiùs. Ponamus verum, *controversiam* de Chyli ad Hepar motu, similiterque de osculorum per quæ subeat amplitudine, *vivâ inspectione & cultelli acie dirimendam* esse: At an ideo, quòd Vir Celeberrimus hactenus non potuerit Mesaraïcarum rubrarum patula oscula invenire, colligere licet, ergo *frustra quæri in mortuis illorum irradicationem*, ut contendit loco paulò antè allegato. Non illicò si mihi datum non fuerit adire Corinthum, colligere ausim, id nemini concessum, aut frustra tentari. Potest *Bilsius* exhibere nudis oculis conspicienda, ut oculatis ac interim fide dignissimis testibus credo, quæ hactenus nemo videre potuit, quæ omnis omnium Anatomicorum Exercitus (quod sine cujusquā opprobrio dixerim, cùm Natura non omnia aperiat simul,

ſimul, nec cuncta cuivis) fruſtra hactenus quæſierit. Profitetur utique ipſe Vir Celeberrimus *pag.* 30. *quum cutello rugoſam in cavitate* inteſtinorum *tunicam*, *ſeu potiùs villoſum mucum* (vel *muſcum* rectiùs,) *leniter abraderet*, *ſanguinem per exigua foraminula confertim prorumpere*, *& ſuperficiem imbuere occepiſſe*; mortuo autem ſubjecto, inde vel guttulam ſanguinis elicere, etiam tranſverſâ & profundâ inciſurâ, incaſſùm ſe conatum fuiſſe; *nec uſquam*, inquit, *foraminula aderant*, *cùm tamen radendo tam tenuia reddidiſſem inteſtina*, *quàm ſunt veſpertilionum alæ*, &c. Oportet autem adfuiſſe verè *foraminula* quædam, ſeu oſcula meſaraïcarum rubrarum in inteſtina pervia fuiſſe, per quæ ſanguis ille poſſet prorumpere; quamvis ulteriore raſione factâ, nec oculis ipſis foraminula apparerent in mortuo ſubjecto, nec ſanguis ampliùs ullus proflueret. Et ſanè ſi oculo (velut illis apud *Plutarchum* palato,

lato, *Catone* dicente,) plus ſapere forſan Anatomicis licet, quàm quidem Corde, eodem jure judicandum erit, ne quidem ulla foramina fuiſſe in tunica inteſtinorum, radendo ad eam tenuitatem redacta, per quæ in Lacteas venas quicquam ex cavitate inteſtinorum queat ſubire: Hîc utique locum habere debet, quod aït *Hipp. lib. de Arte*, *Quæ oculorum* noſtrorum *aſpectum effugiunt, ea mentis acie comprehenduntur.* Certè nudus oculus, niſi accedat artificium, (quali *Bilſium* ſolum inſtructum teſtantur, qui rerum periti ſunt, ac teſtes oculati,) in cadavere foramina lactearum non percipit: *Non diffiteor,* inquit Candidiſſimus *Bartholinus in Hepat. Defunct. p.41. venas Lacteas ad ſenſum in inteſtinorum cavitatem naturaliter non hiare, ſufficit enim cruſta inteſtinorum carnea,* inquit, *quâ velut panno ſugunt & imbibunt Chylum.* At interim verè foramina adeſſe in Lactearum extremita-

mitatibus, per quæ admittatur ſuccus quicunque, contenta earum abundè arguunt; idemque teſtatur experimentum Viri Celeberrimi, relatum p. 32. quo, *quoties Lacteæ ab ipſo comprimerentur, toties Chyli humorem, candidiſſimo Lacti ſimillimum, in cavitatem* inteſtinorum, *magis magisque laxatis oſculis*, (quantumvis obtutum oculorum effugientibus,) *tanquam ex ſpongia* (ex ſpongioſis ſcilicet ipſarum capitulis, pertuſis hinc inde, papillarum inſtar, foraminulis minutiſſimis, oculorum aciei haud perceptibilibus,) *potuiſſe exprimi.* Si ergo factâ raſione inteſtini, nulla foramina ſenſui obvia fuerunt, cùm tamen ſanguis ultrò proflueret ſub initio raſionis, velut preſſione ex Lacteis prodiit in cavitatem inteſtinorum albicans ſuccus; quæ oculi inſpectio, quæ acies cultelli, controverſiam nobis dirimere poterit, utrùm meſaraïcarum rubrarum fora-

mina, an verò Lactearum ampliora habenda ſint? niſi melius artificium quodcunque adhibeatur, quàm hactenus fuit Anatomicis notum, quo poſſint oculis manifeſta reddi, quæ aliàs ne quidem perſpicillo microſcopico accuratiſſimo adhibito, niſi poris partium ac lamellis membranarum, fibriſque minutis, quaſi ultrò ſecundùm naturalem habitudinem dilatantibus ſeſe atque dehiſcentibus, poſſent ſenſu deprehendi. Ad poros adeò minutos perquirendos, ſeu vias anguſtiſſimas perveſtigandas, nequaquam raſio conveniens videtur, quâ potiùs viarum ratio aboletur: Et quis raſione in veſica inſtitutâ, genuinam ureterum in eandem inſertionem, ritè oculis exponeret? Sunt & alia paſſim in corpore foramina, quæ ſenſibus haud illicò obvia exiſtunt: Pituitariæ membranæ foraminula quàm plurima ineſſe certiſſimum eſt, per quæ muco-

mucosum lentumq; humorem transmitti haud ignoramus: at oculis illa haud protinus manifesta sunt. Similia multa notavit Vir Excellentiss. ac Celeberr. *Schneiderus* in doctissimo suo Opere *de Catarrhis*, *lib.* 3. *pag.* 505. & *seqq.* De osculis Lactearum, seu foraminulis earundem, per quæ succus, qui subit ex intestinis, admittatur, nemo hactenus Anatomicorum certiora protulit, quàm quæ prolata à *D. Bilsio*, cùm utique nemo ea oculis hactenus usurpare potuerit: At saltē referente Excell. *Bartholino Hep. Defunct.* *p.* 32. testatur utique D.D. *Moinichenius*, S R.M. Medicus, in arte secandi peritissimus, visas à se esse in cadaveribus Bilsianis balsamo conditis mesaraïcas rubras ad interiora intestinorū pertingentes, *patulis osculis*, (quod de Lacteis nemo hactenus pronunciavit;) ut adeò non temerè obtulerit *Bilsius in Respons. ad observat. D. Barbettii* § 5. se in illis cadaveribus mesaraïcas venas in intimam intestino-

rum tunicam irradicatas, tum oculis tum tactui exhibiturum; ubi & *valvulas* earum innuere videtur, velut item *Resp. ad* §. 8. quas equidem rasione Celeberrimi D. D. *Paulli* laceratas fuisse verisimile est, unde sanguinis profluuium, quod mox cessabat, subsequentibus valvulis affluxum novum præpedientibus. Quæ ad illam Clariss. *Moinichenii* observationem in cadaveribus prædictis excipit Excellentiss. D. D. *Bartholinus*, ea equidem à nobis expensa sunt in *Disquis. Ulter. de Chyli Motu & Offic. Hep. pag.* 224. & *seqq*. Quæ verò habet Celeberrimus D. D. *Paulli* p. 39. ex Clariss. D. *Bartholino* allegata, obscurum sensum exhibere videntur. Si quid *Bilsius* exhibet, inquit Vir Cl. id esse Mesaraïcarum rubrarum ramulos, ex intestinis prodeuntes, inde conjicio, quòd, quæ ostendit vasa, referente Cl. *Bartholino de Hep. Def. pag.* 32. exteriùs ab intestinis resecta

sint

ſint & detruncata. Ego equidem verba ac mentem Clariſſ. D. *Bartholini* longè aliter accepi, ut ea etiamnum accipienda cenſeo: *In illis* (cadaveribus balſamo conditis,) inquit, *quæ illi* (*Moinichenio*,) *monſtrabantur patulis oſculis* (ſc. ad intimam inteſtinorum tunicam hiantibus, de hiſce enim oſculis ſermo erat,) *inteſtina* (quæ intus patula venarum meſaraïcarum oſcula exhibebant,) *erant abſciſſa, ut mirum non ſit vaſa meſaraïca ab inteſtinis detruncata & reſecta, orificia patentia oſtendere*, ſc. quâ parte in abſciſſis inteſtinis extremitates illorum vaſorum hærebant, quæ orificia intus patentia exhibebant: utique quâ parte meſaraïca illa vaſa extra inteſtina erant detruncata & reſecta, *orificia* ſua non poterant oſtendere, ea enim inteſtinis cum extrema portiuncula irradicata remanſerant, à vaſis reſecta: At interim tamen fallaciam Bilſianæ demonſtra-

 tioni

tioni subesse innuebat *Bartholinus*; non quòd partium externarum ab intestinis resectarum patula foramina pro orificiis vasorum mesaraïcorum ad interiorem intestinorum superficiem hiantibus, ac patulis, de quibus sc. quæstio erat, exhiberet, (hæc enim non fallax sed stolida omninò demonstratio fuisset;) sed quòd naturalem constitutionem orificiorum, ad interiora intestinorum hiantium, vellet ostendere in corporibus exsuccis, aridisque, adeóque partes patulas ostendentibus, quæ aliàs in statu sano claudantur; quódque eadem exhiberet in talibus intestinis, à quibus vasa ipsa exteriùs erant resecta: unde subjungit *Bartholinus*, *At an ita in viventibus & integro corpore appareant*, (ut nempe illic in cavitate intestinorum similiter pateant,) non *vidit*, *nec fieri potest*. Sed hanc difficultatem diluimus satis, nisi judicium me fallit, *alleg. loco*. Prædictam verò D. *Bar-*

tholino

tholino ex *Moinichenii* relatione, mentem fuisse, vel nunc quoque magis colligo exinde, quòd D. *Bilsius*, cùm huc excurrisset, particulam intestini balsamo conditam, atque à reliquo resectam ostenderit mihi, ubi præter *muscum villosum* illum elegantissimè comparentem, foraminula intus, seu oscula vasorum evidentissimè apparebant, atque oculis patebant. Quid verò multis? Largitur saltem Celeberrimus Vir, reverà non esse foraminula nulla, in extremitatibus venarum mesaraïcarum vulgarium, per quæ subeat aliquid ex cavitate intestinorum, vel confluat in eam; sed omninò humorum in purgationibus excretionem illis venis competere, (confluxu interim arteriis competente) statuit ipse *pag*. 48. ut adeò necessum sit, per mesaraïcas venas foras ejici removendam materiam à pharmaco assumpto, inque intestina deponi, ut propriis ipsius verbis utar ex

p. 115. Quin &, quicquid in purgantibus Medicamentis & Medicamentosis alimentis maximè est spirituosum, ut in totum corpus perveniat, hasce venas peragrare, ut ipse declarat *pag.* 48. & *seqq.* itemque *pag.* 111. & *seqq.* atque alibi sæpiùs; Largiamur ergo nos ipsi vicissim, (quamvis hactenus nec sensus nec ratio ulla id ipsum ostendat, quin imò cui contrarium videtur dictare ipsa ocularis inspectio in cadaveribus illis exsuccis & aridis,) esse forsan minora foraminula illa, per quæ quid subeat è cavitatibus intestinorum in mesaraïcas rubras, quàm sint foramina ad Lacteas attinentium: an inde colligendum, quod colligit Vir Celeberrimus, vel quânam, quæso, ratione aut sensu colligit illud, quod pro concluso voluit positum *pag.* 57. nimirum, *Omnem Chylum per Lacteas transire; nec Mesaraïcas rubras tantillum ejus, nec aliud præter sanguinem,*

quem

quem revehunt, nisi quod ex assumptis, seu Medicamentis ad intestina prolapsis, seu alimentis Medicamentosis, tenuissimum est, posse accipere? Seu, ut habet *pag.* 111. *Venas Mesaraïcas, propter exilitatem extremorum surculorum, neque Chylum, neque alium quemcunque crassum liquorem posse recipere?* Utique statuit etiam *Bilsius* ipse, Mesaraïcas rubras, ex communi illa Cremoris massa, quæ fermentatione ac coctione in ventriculo parata est, indeq; in intestinis elaborata ulteriùs, nil aliud suscipere, nisi id quod magis præ reliquo spirituosum est, quod tamen interim non merus sit spiritus, sed spirituosus ac densa partium tenuium cohæsione, (ut in oleo anisi, aliisque similibus fieri contingit,) inspissabilis succus, qui aëri expositus facillimè concrescat atque induretur, ad sanguinis naturam proximè accedens, ut nempe exinde sanguis vitalis seu spirituosus dein-

ceps queat generari; quod verò præter alvinas fæces præterea subest, quod nempe magis aquosum existit, id ipsum Lactea vasa subire. At malè passim confundi solet *spissum* cum *crasso*. Utique *Chylum* ipsum, quem mesaraïcas rubras subire censemus, *crassiorem* propriè nequaquam habendum esse eâ cremoris parte, quæ lacteas penetrat, quamvis consistentię spissioris evadat per coagulationē, declaratum dedimus in *Disq Ulter. de Chyli Motu*, *pag.* 240. & *seqq.* Quin imò reverà fieri posse, ut crassior substantia porulos subeat, in quos tenuior insinuare se nequeat, luculenter demonstravimus *alleg. Disquis. pag.* 235. & *seqq.* itemque *pag.* 243. & *seqq.* Perpendat Vir Celeberr. quæ *ingratiam eorum, qui rerum naturalium studio delectantur, & rationes simul æquâ lance ponderare didicerunt* (ut loquitur in *Præfatione* ad *Jo. Alph. Borelli de Renum Usu Judicium*,

pag.

pag. 24.) viſum fuit *Borelli* verbis in medium proferre *pag.* 28. *Plurimis experimentis comprobari poſſet*, inquit cum *Borell.* *poros anguſtiſſimos à rebus ſubtilioribus non penetrari, licet ipſos craſſiora pervadant; rurſuſque à poris ſatis patentibus & laxis, ſubtilia non admitti, quamvis minùs tenuia introducantur. Sic, quantæ ſunt anguſtiæ Auri poroſitates?* inquit: *adeò illæ ſenſum effugiunt, ut prorſus non reperiri aliqui contenderint; & tamen Mercurius poros illos penetrat, quos non aër, nec ulla Hydrargyro ſubtiliora poſſunt pervadere. Rurſus, quantæ ſunt amplitudinis pori veſicarum & pellium,* inquit: *Ab his tamen exſudat aqua, licet exitum aëri tenuiori nunquam concedant. Unde patet ad ſenſum, majorem vel minorem oſculorum anguſtiam nihil omninò ad hujus illiuſve humoris penetrationem facere, niſi etiam partium, quæ introduci debent, figuræ accommodetur.*

 Hanc

Hanc veritatem nequaquam eludit effugium illud, quod in *Responſ. ad Epiſtolam D. Wepferi* habet, *pag.* 117. Aliam eſſe & quidem diverſam orificiorum in venis, aliam pororum in metallis indolem; quod nullâ indigere probatione exiſtimat, quoniam diverſiſſima utrarumque eſt conformatio: Sed & diverſiſſima conformatio eſt particularum earum quæ aurum pervadunt; atque earum quæ orificia venarum ingrediuntur, vel ab hiſce excluduntur: Et quidnam, quæſo, id ipſum deſignat, quod aït, aliam utrobique conformationem eſſe? quæ ratio, quæſo, conformationis diverſæ? quo ſenſu verò diverſitatem cognovit? Vel cur non potiùs *rationi* quoque hîc locus concedendus eſt? ut adeò non planè controverſia iſtæc *inſpectione vivâ & acie cultelli dirimenda* videatur. Nec verò ſe expedient, nec ſtudio veritatis ritè litabunt,

bunt, qui, ut loquitur Vir Celeberr. *pag.* 108. admirantibus quàm affirmantibus similiores, & frustra singulorum rationem reddere conantes, (vel potiùs temerè rationes aliorum quascunque respuentes,)

Hæc quia nec possis oculorum cernere visu,
Prendere nec manibus,

majoris partis consensui acquiescunt. Sed neque in eas angustias opus est ut deveniatur: Ad visum tactumque provocat *Bilsius.* Audiatur is saltem: ac ubi tandem testimonia sensuum deficere incipiunt, non planè proscribatur *oculus mentis.* Haud protinus conjectura est, si quid sensu nullo demonstrari potest: saltem neutiquam *conjectura* est, si modò fide dignissimis testibus fides habenda est, quam *pag.* 107. dicuntur quidam *de fusco & cinericio colore in rubris Mesenterii rivulis deprehenso*,

excogitâsse; de qua re ita fusè disseruimus, ac solidè, ut opinamur, in *Resurrectione Hepatis asserta*, atque *Ulteriore Disquis. de Chyli motu*, itemque alibi, ut planè censeamus supervacuum fore, si quicquam addamus: Non video autem, quî dicatur illa de *cinericio colore* in Mesenterii venis deprehenso sententia, vel potiùs experientia, propriâ fragilitate concidere, quàm diu reapse non comprobetur, Venas Lacteas rubrarum esse propagines; nisi id quod in quæstione est jam definitum habeatur, sc. nullum chylum ex intestinis in rubras Mesaraïcas subire; simulque sufficiat falsum pronunciare quod quis ipse non vidit. Sed talibus diutiùs immorari non vacat. Cæterùm miror vehementer, Excellentiss. simul atque oculatissimum Anatomicâ manu menteque *Wepferum*, potuisse induci, memoratâ Viri Celeberrimi observatione,

hacte-

hactenus expensâ, ut crediderit per illam veras Chyli portas doceri potuisse; neminemque sanum in posterum tam facilè obluctaturum, ut pronunciat *in Epistola de Dubiis Anatom.* ad Cl. D.D. *Paulli* p. 93. 94. Certè ratio, quam subjungit nequaquam est talis, quæ persuadeat cuiquam, à trita via per mesaraïcas rubras pro Chyli motu, esse planè desistendum: *Siquidem quilibet*, inquit, *sensui consulens manifestè deprehendet* 1°. *Venas Lacteas in cavitatem intestinorum pervias esse, & pressas chylum refundere.* 2°. *Venas verò Mesentericas ita occlusas esse, ut ne flatum quidem admittant in intestinum.* Quod prius attinet, sc. pervias esse Lacteas venas, id nemo negaverit; at omnem chylum, seu quicquid præter fæces alvinas cremori subest, in eas admitti, id inde non sequitur, neç ullo sensu id ipsum firmatur; testimonium sensus contrarium urgetur

à D.

à D. *Bilsio*, cui ratio adstipulatur, ut pridem multis à nobis expositum; quin & negat *Bilsius*, id ipsum quod albicans in Lacteas suscipitur, meliorem chyli portionem habendum esse; sed potiùs esse magis aquosam præreliqua contendit: dum interim quod sanguini generando est congruum subintret venas mesaraïcas rubras. Ad alterum, quòd dicuntur Mesentericæ venæ ita esse occlusæ, ut ne flatum quidem admittant *in intestinum*, responderi potest, id valvularum obsistentium beneficio fieri, quarum item beneficio præpeditur sanguis ne dimanet in intestinum. Si verò quæramus, quæ ratio sit, quòd ne quidem flatum *ex intestinis* eadem vasa transmittant, hæc circa Lacteas eadem est; quæ utique dum chylum creduntur admittere, non tamen cum chylo flatum transmittunt, si vel eo contingat distendi intestina. Sed quæstio illa, Quî possit

chylus

chylus ex inteſtinis tranſire in quæcunque vaſa, in quæ tamen nec flatus ipſe, in maxima licet diſtenſione inteſtinorum, poſſit ſubire? enucleata à nobis pluribus eſt in *Ulteriori Diſquiſ.* ad D. *Bartholinum*, *pag.* 243. & *ſeqq.* quò Lectorem remittimus. Quod ſi verò nihil, præter jam commemorata, ex Cl. D. *Paulli* inventione percepit *Wepferus*, miror denuò ſummoperè, quî *certò perſuadeatur*, ut aït ipſe *pag.* 95. illa D. *Paulli* inventione, *nihil chyloſi ex inteſtinis immediatè extremis capillamentis venarum Meſentericarum illabi*: ſi quidem haud magis foraminula ulla ſenſibus patent, per quæ quid ſubeat in vaſa Lactea, quàm quæ in venas meſentericas rubras quicquam tranſmittant; at interim certum eſt penetrare *chylum* ex cavitate inteſtinorum, quò flatus nequit ſe ipſum inſinuare, velut tenuiorem medicamentorum portionem, nec non alimentorum medicamentoſo-

rum

rum, ne ipse quidem Cl. *Paulli* ab ingressu in mesaraïcas rubras excludit: Quin imò miror, siquidem *nondum in animum suum inducere potest D. Wepferus, omnem Chylum per ductum Pecquetianum massæ sanguineæ permisceri*, ut profitetur ipse *pag.* 95. per quasnam vias censeat posse chylum subire? cùm utique ex intestinis, præter vasa Lactea, & mesenterica rubra, diverticulum aliud nullum detur, (ut agnoscit D. *Paulli* p. 111.) quo quicquam admittatur. An forsan tacitè statuit nobiscum, *ex glandulis* Mesenterii Meseraïcas rubras imbibere succum, per Lactea vasa ad ipsas delatum? Certe non videtur conjectura illa, ut appellat D. *Paulli*, à mente *Wepferi* aliena statuenda, ut fit ab illo Celeberr. Viro, *pag.* 107. Speciosè satis id à me probatum agnoscit ac profitetur D. *Wepferus pag.* 97. quamvis magis fideret si sensus rationum momenta stabilirent: At siqui-

quidem ſaltem agnoſcere cogitur, à ſana ratione alienum non eſſe, extremis capillamentis venarum meſentericarum illabi poſſe quicquam chyloſi *ex glandulis* illis, cur non æquè admittit, poſſe item *ex inteſtinis*? Quæ, quæſo, ratio diverſitatis occurrit? utique ſenſus non magis ex illis quàm hiſce chyloſi quicquam illabi percipit; at ſanè obſcurum eſt, cur ratio quicquam glandulis tranſcribat in illo negotio, quod neget inteſtinis. Quòd ſi autem poſſint ſuſcipere chylum meſaraïca vaſa, cur, ubi ſenſus nequaquam reluctatur, non fidit rationi? præſertim cùm agnoſcat à ſenſu ac ratione alienum eſſe, per *ductum Pecquetianum* omnem chylum tranſmitti? Sed interim quæ cauſa, cur ſaltem libenter credat nobis, nequaquam poſſe *omnem Chylum per ductum Pecquetianum maſſæ ſanguineæ permiſceri? Obſtant, mihi ſemper*, inquit *pag.* 95. *ductus* *gra-*

gracilitas, teneritudo, chylosorum, maximè potulentorum, copia; & in motu celeritas: Et *pag.* 96. *Certè, si omnis chylus per tenerrimum hunc ductum transmittendus foret*, inquit, *omninò vita nostra à tenuissimo filo penderet*: &c. cúmque in casu ab alto, valida in dorsum percussione æquè facilè ii ductus lædi possint, ac vasa sanguifera sæpe rumpuntur, an consonum vero, voluisse naturam, ab uno illo tenui ductu hominis vitam pendere? Sed illud argumentum, pridem motum à nobis, prosecuti fuimus, occasione datâ, in *Resurrectione Hepatis asserta*, atque alibi sæpiùs. Nec verò nobis satisfacere possunt, quæ Cl. D. *Paulli* reponit *pag.* 108. & *seq.* sc. dilui chylum in Receptaculo, beneficio affluentis Lymphæ, ne periculum rupturæ canali illi à spissiori Chyli substantia ingrueret. At eâ ratione copia augetur, quæ interim vasis innumerabilibus advecta perrum-

rumpere debet per unum illum tenerum ductum: Et quicquid dicitur de Valvulis non parum ad firmius robur contribuentibus, (quod mihi quidem haud multum videtur;) de totius ductus textura validis prædita fibris, (cui ipſa ductus teneritudo reclamat;) quòd ligaturâ factâ, continuo liquoris affluxu infernè ſuſtineat diſtendi, ac lactis per ſiphunculum immiſſi copiam affatim recipiat, (ubi quidem admittit quantum capere poteſt, excluditur reliquum, dum interim in corpore naturaliter habente chylus omnis per venas innumerabiles advectus, per unicum illum tenerumque ductum creditur tranſire;) nec flatus inſpirati violentiâ ullâ *facilè* diſplodatur, (quod interim certè periculo non caret;) quòd inter venam ἄζυγον & aortam arteriam poſitus, utriſque filamentis arctiùs nectatur, partimque œſophago, ac partim appendi-

cibus

cibus Diaphragmatis tanquam pulvinari incumbat, (quod teneritudini ſubſtantiæ ejus derogat nihil:) hæc omnia, inquam, conficere non poſſunt, quin ſaltem continua violentia quædam naturæ inferatur, quam hæc nequaquam naturaliter ferat, ſi omnis liquor, non modò per lacteas innumerabiles advectus, ſed inſuper lympha ad receptaculum confluens, per tenerum illum anguſtumque ductum continuè ſint tranſmittenda. Quis verò non credat à tanta violentia, atque à continuo rupturæ imminentis periculo tam evidenti, naturam abhorrere? *Si ſenſus rationum momenta ſtabilirent, magis fideret* Clariſſ. D. *Wepferus*: At interim, quò fortè acumen ſenſuum pertingere nequit, ibi utique ratio nequaquam repudianda eſt, ſubnixa ſenſibus, at longiùs provecta; nequaquam omnis certitudo rerum à ſenſibus externis Philoſopho arceſ-

ſenda:

ſenda: ſuæ utique partes, & quidem potiores, tribuendæ ſunt Menti, cùm ſenſus ipſe, ſibi relictus, ſæpiſſimè fallat. Saltem, ubi nil certi ſuggerit ſenſus, quòd ſi fortaſſe rationi non fidimus, conſultum videtur *majoris partis & proximè vero accedentis conſenſui acquieſcamus*, ut loquitur Celeberr. D. *Paulli* pag. 108. Et cur non ſenſuum experimenta admittuntur circa chyli motum à Nobiliſſ. D. *Bilſio* allata? *Chylus ſanguini permixtus*, inquit *Wepferus* p. 97. *non penitus oculos effugere poſſet*. Ita quidem reverà eſt: nam ſanguinis colorem utcunque immutat; at hujus tamen continuè novi per arterias affluentis rubedinem non tollit: Quin imò nec ſeorſim, ſeu ſeparatus à ſanguine, in venis ſanguinem actu vehentibus conſpicitur Chylus; niſi ubi in ampliores proximè infunditur, ac nondum maſſæ ſanguineæ immixtus eſt: (ſic D. *Pecquetus Chylo in cava aſcen-*

dente

dente reperto in notitiam sui ductus pervenit:) At ſanguini perfuſus, continuo hujuſce fermentativo motu mox intimè hujuſce particulis permiſcetur; ſed ita tamen, ut dum non planè rubedinem evertit, colorem ſaltem pallidiorem utcunque videatur efficere. Atque ita agnoſcit Cl. *Wepferus*, *pag.* 97. ſe *in Bove vaſa meſenterica non fuſca, ſed pallidiora aliis quibusdam vaſis ſanguiniferis vidiſſe.* Sed neque huic ipſi teſtimonio ſenſuum fidere audet: *cùm non omnia obſervata fuerint*, ut aït, *quæ attendenda neceſſariò exiſtimat, ſi Chylum per hæc quoque loca ferri aſſerendum ſit.* Certè, ſi conveniens arteriarum ligatura fuiſſet inſtituta, (ad *Bilſii* imitationem,) ut nihil ſanguinis exinde ad venas potuiſſet devenire, ipſumque animans conſutum denuò, ac nutrimento refectum, perque aliquot horas in vita ſervatum, luſtratum fuiſſet poſtea curioſiùs, chyloſus ſuccus in venis

venis mesaraïcis sanguiniferis certò fuisset repertus. Varia equidem à variis dubia hinc inde circa hoc argumentum mota fuerunt: At hactenus ego, non Hepatis studio, sed amore veritatis, *dignitatem & usum Hepatis* sum tuitus. Ad judicium Virorum Eruditorum ac citra affectum judicantium, res ipsa nunc delata videtur, quorum equidem sententiæ lubens acquiescam. *Si satisfecerit Deusingius*, inquit Clariss. & humanissimus D.D. *Paulli pag.* 120. *objectionibus contrariæ Sectæ addictorum*, (quamvis ego profectò nullam omnino Sectam agnoscam, nulli Sectæ addictus sim, ac omnes omnino Sectarios oderim, cùm magis soleant propugnare Sectam, quàm quærere veritatem,) *& aliorum*, inquit, (qui scilicet citra Sectarum conspirationes veritatem solam ante oculos habent,) *eximiæ quæque de illo sibi promittentium exspectationi, triumfum merebitur omnium cum*

applausu. Ultimam meam de hoc argumento Dissertationem à se nondum visam Vir ille Clariss. profitetur: Est autem illa, quam *Disquisitionem Ulteriorem de Chyli Motu & Officio Hepatis* inscripsi; quæ jam pridem A° 1662. unà cum *Resurrectione Hepatis asserta* prodiit: Nam quæ nuper ad Sylvianas Nugas in lucem emisi, cùm hæ non mereantur prolixum examen, ad pridem edita quo ad hoc argumentum Lectorem remittunt. Ceterùm Triumphum nobis decerni haud quæro: Gratulabor veritati, si Viris Eruditis satisfacere potuerim: Nihil saltem eorum, quæ mota fuêre contra *Chyli motum* atque *Hepatis usum*, quæque visa mihi hactenus, prætermittere volui citra responsum; idque sedulò egi, ut saltem meo satisfacerem animo, utque ipse meâ acquiescerem responsione: An satisfecerim aliis, id aliorum lubens relinquo judiciis. Una restat difficultas,

cultas, quam motam voluit Clariss. *Wepferus pag.* 94. An autem seriò an joco hîc agat, dubitare cogor. Procidentiam recti intestini vidit palmo longiorem, pugno virili majorem, hæmorrhoïdibus cæcis undiquaque tumidi: *in illa*, inquit, *globuli quàm plurimi acinorum uvarum magnitudine densissimè conglomerati, tenuissimâ tunicâ vestiti, colore ex atro rubescebant: quidam etiam splendidiùs rubescebant: utcunque autem Hemorrhoïdes istæ sanguine valde distentæ & turgentes admodùm essent*, inquit, *ne guttula tamen ejus exsudavit, quod procul dubio factum fuisset, si venæ intestinis insertæ osculis paterent: maximâ enim hac distentione, valvularum remora, aut aliud quidpiam illis ἀνάλογον sublatum fuisset.* Clariss.° D°. *Paulli* quidem ex allato illo *Wepferi* exemplo, etiam magis comprobatur, minutissimos surculos, ab arcuatis venarum mesentericarum ductibus ad intestina

porrectos, prorsus esse impenetrabiles in horum cavitatem. Quin imò contendit *pag.* 106. fieri non posse, ut vel guttula ulla exigua sanguinis ex venis mesaraïcis rubris transeat in cavitatem intestinorum, quantumvis maximâ distensione urgeatur, nisi horum tunica interior, unà cum Mesaraïcarum extremitatibus, ab acri aliqua materia, sit erosa. Quid ergo dicemus in ordinario quorundam hæmorrhoïdali fluxu, qui multis familiaris? an identidem hîc quædam erosio intestini, ipsorumque vasorum, erit concipienda? at cur verò hîc potiùs, quàm in menstruo fluxu? Aut si fortè hîc quædam ratio privata est, certè mirum jure meritóque videbitur, non frequentiùs exulcerationes eâ parte oriri; quæ utique à cæcis hæmorrhoïdibus frequentiores sunt, ob sanguinem extravasatum, atque adeò putrescentem, quàm ab apertis.

Nem-

Nempe, ut præter naturam accidit vasis mesaraïcis illis, ob sanguinis motum fermentativum peculiarem, (velut item in fluxu menstruo contingit,) quòd oscula eatenus aperiantur, ac valvulæ concidant, ut sanguis profluat ad anum vel intestina, qui ordinariè motu contrario inde revehi solet; ita quoque accidit præter naturam, à sanguine, quasi per præcipitationem post fermentationem præternaturalem ad illas partes delapso, nec exitum inveniente, quòd oscula fortè pertinaciùs coarctentur, nec valvulæ cedant, oriri tumores. An verò exinde de naturali statu quid colligi potest? Certè menstruius ipse hæmorrhoïdum fluxus, qui multis familiaris est, (ne dicam de fluxu sanguineo seu Hepatico vulgo dicto, citra tormina ac cruciatus, adeóque citra rosionem contingente,) non minùs evincit, vasorum oscula ad

interiora inteſtinorum aperta eſſe; quàm hæmorrhoïdes cœcæ, ſeu tubercula illa conglomerata *Wepferi* arguere poſſint, illa oſcula vaſorum neque pervia eſſe, neque poſſe quid naturaliter ex inteſtinis admittere. Fieri utique poteſt, ut ſanguis quaſi critico conatu à natura propulſus, per arteriolas capillares ad muſculum ſphincterem vel inteſtina pertingat, ibidemque extravaſatus, ac in ipſam partium ſubſtantiam effuſus, conglomoratos ejuſmodi globulos excitet. Quinimò, ſiquidem nihil omnino ex ordine naturæ conſueto è venis in inteſtina dimanat, præpedientibus valvulis, aut alio quopiam illis analogo, quamvis contrà eædem in inteſtina hiantes inde admittunt quod oſculis proportionatum eſt; fieri utique poteſt ut ſanguis propulſus ad venarum extremitates, ibique ſubſiſtens ac morâ concreſcens, (quòd non illicò

ad

ad primum affluxum remora valvularum tollatur,) mox obſtruat meatum, ſicque exitu præpedito tumorem efficiat, initio quidem ſplendidiùs rubeſcentem, at poſtmodùm, ſanguine diutiùs illic immoto hærente, ex atro rubeſcentem: Quid verò mirum, tali factâ obſtructione, in tenui meatu, ſi vel deinde orificia aperiantur, vel vulnuſculum infligatur hirudinibus admotis, non niſi quod tenue & aquoſum exiſtit exſtillare poſſe, nempe *ſanguinem* duntaxat *ſeroſum & pallidum*? (ut à *Wepfero* notatum;) ne aliam hoc loco, quam Clariſſ. D. *Paulli* affert, *pag.* 106. interpretationem nunc proferam. Hoc ſaltem moneo: Si cum Clariſſimo hoc Viro debeamus pro rato habere, globulos illos conglomeratos, in vaſis lymphaticis à lympha ibidem reſtagnante aut regurgitante, ortos fuiſſe, fruſtra colligi exinde,

Vena-

Venarum meſaraïcarum rubrarum oſcula haud patere in inteſtinis; ut adeò nihil ex illo D. *Wepferi* exemplo concludi queat, quod venas meſaraïcas ad inteſtina impenetrabiles eſſe confirmet. Sed plura prætermitto. Nec verò nunc animus eſt, excutere alias nobiliſſimas materias, à Celeberrimo Viro in medium prolatas, ac plauſibiliter diductas: ne videar fortè contradicendi ſtudio potiùs hæc agere, quàm ut tuear ea, quæ mihi hactenus veriſſima viſa ſunt. Ingenium certè feliciſſimum prodit Celeberrimus ille Vir, & ſtudium acre in rem Anatomicam: quibus meritò omnes boni favebunt. Hoc unum addo. Sententiam illius Eximii Viri cedro digniſſimam meritò cenſeo, quam exprimit ipſe in *Epiſtola* præmiſſa *Structuræ Renum Laur. Bellini*, *pag* 6. In Exercitio Anatomiæ, ſi quid novi inveniatur, *ſuſpitiõe omnino nudam reperti*

reperti thesauri exposuisse historiam, quâ occasione, & quomodo, & quæ quis observârit, ordine summoque studio annotâsse, atque aliis eadem eruendi & assequendi processum ac methodum tradidisse simplicissimam. Id *Sylvio* meo dictum existimo: Certè ii, qui nihil certum agnoscunt in rebus naturalibus, nisi id quod *Sensibus externis* apprehendunt; qui *Rationem* explodunt, *Mentemque* ceu *malè sanam* proscribunt; qui denique *Suspicionibus*, *Opinionibus*, *Dubitationibus*, merisque *Conjecturis* omnia involvunt, etiam ea quæ Ratio evidentissima discernit, ii, inquam, nequaquam idonei existunt, ut ferant judicium, de partium usu, vel rerum recens in re anatomica inventarum necessitate. Sed *Sylvium* in *Sylva arente* relinquo, dum *Cadens Jacensque* exspectant *ardentem*: quam unà cùm mea *Trutina Pietatis ac Probitatis Sylvianæ* rogatu Amicorum hactenus differo, dum

spero

spero hominem rediturum aliquando ad mentem saniorem, ac Literariæ Reipublicæ navaturum potiùs nobiscum operam, quàm famæ & existimationi meliorum Virorum præinvidia proscindendæ calumniis suis atque impiis maledictis. Hîc verò tandem facio finem, Epistolæ limites jam longè transgressus, materiâ ipsâ sic calamum ducente. Tu, Vir Excellentissime, ac Integerrime Amice, animitus salve, ac perpetuùm vale: ac si fortasse ita ferat occasio, Clarissimum Virum, D. D. *Paulli*, cui per Te pectus integerrimum offero, candidamque amicitiam, cum gratiarum actione, pro tam honorifica mentione mei, aliquoties repetita, salvere plurimùm à me jube. Finiebam Groningæ, 24. Maij. Styli Jul. 1665.

FINIS.